Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26554
Copyright: Admont, Benediktinerstift

omonima que una appellatione plura significant.
ut nepos. acies. aries. alia .s. appellatiua.
Omonima grecum nomen est. Sonat autem latine unino
mina .i. uniuoca. Hec autem nomina nepos. acies.
aries. uninomia dicuntur. quia sub uno nomine mul
ta significant. Nepos filii filius est. et nepos luxu
riosus et prodigus qui est dispensator substantie. Aries
est animal. et signum in celo. et machinamen
tum ob destructionem murorum ferrum habens in
capite. et dicitur aries quasi fronte ruens. Acies
est acumen ferri. uisusque oculorum. et acumen
mentis. et pars exercitus. Sunt et alia sinoni
ma uel polionima. ut ensis. mucro. gladius.
terra. humus. aruum tellus. solum. His contraria sunt
synonima uel polionima. dicta eo quod una
significatione plura habent nomina sicut patet
in exemplis. Terra a terendo. humus ab hu
more. Aruum est terra incisa. Muchro pre
summitas gladii est. sed pro toto gladio ponitur.
Gladius dicitur a clade quam facit. Sunt alia patronomi
ca ut atrides. pelides. Hec et ab auis et a
sepe matribus fiunt. In his que greca sunt siue mas
culina. siue feminina fuerint. grecam
magis seruabimus regulam. Horum masculi
na aut in des exeunt. ut atrides. ab
atreo. aut in ius ut peleius a peleo.